

† R. P. Augustinus Roeslēr.

Die 2 aprilis h. a. in collegio nostro Grüneiche prope Wratislaviam (Breslau) prov. Germaniae inferioris pretiosam mortem oppetiit hic filius Congregationis egregius et optime meritus, quem non solum confratres, sed catholici omnes mortuum vehementer dolent. Emus Cardinalis Bertram, Episcopus Wratislaviensis, huius rei testis est, cum ad Rectorem has litteras dederit in doloris sui signum: « Intimum Tibi doloris sensum significo de obitu ingenui nostri optimique P. Aug. Roesler. Silesia et Congregatio amissum lugent sacerdotem generosissimum, qui luminis instar Germaniam catholicam totam collustrabat. Vita vere fecunda extincta est. Arctissimis amicitiae vinculis non minus mihi quam Tibi coniunctus erat. Sit illi Deus merces copiosa atque perpetua! ».

Augustinus noster natus est die 6 martii 1851 in Guhrau Silesiae Borussicae, quod est oppidum maximam partem acatholicum. Parentes piissimi opibus non affluebant, et cum puer decem et trium annorum patrem morte amisisset, cura tantum sacerdotis cuiusdam transire poterat ad studia humaniora, quae tanto cum successu perfecit, ut unoquoque anno praemio coronaretur. Cum a. 1871 ea absolvisset, ecclesiae catholicae in regno Borussiae persecutio Bismarckiana imminebat. Sed Roesler veteri suo desiderio obsequens alacer ad studia theologica in universitate Wratislaviensi transiit, in quibus non solum egregie profecit, sed etiam amicitia iunctus est intima cum viris eximiis, quorum sensus vere catholici in temporibus illis turbidissimis erant, praesertim cum magistris suis Ferd. Propst et Hugone Laemmer, cuius in seminario historico iam tum, cum scriptum quoddam de S. Bonifatio, Germanorum apostolo, proposuisset, magna laude ornatus est. Episcopo dioecesano per leges iniquas relegato die 8 maii 1875 ab Episcopo auxiliari Adr. Wlodarski sacerdotio auctus est. Iuvenis autem sacerdos etiam ipse scripto quodam de inviolabili ecclesiae iure offendit, et cum Silesiam suam vitare cogeretur, Friburgi Brisgoviae studiis theologicis ulteriorem operam dedit atque doctoris theologiae laurea decoratus est. At mens Deum desiderans nondum quievit. In exercitiis spiritualibus, cum ad maiora se vocatum esse cognovisset, S. Alphonsi libris et vita S. Clementis M. Hofbauer ad Congregationem nostram trahi videbatur, et P. Antonii Innerköfler consiliis confirmatus die 12 aprilis 1877 Eggenburgi in provincia tum Austriae novitiatum ingressus est, in quo magistro usus est viro egregio P. Andrea Hamerle, qui mox in superioris provinciae munere animi ingeniique eius dotibus ad studentatus profectum optime usurus erat. Humilitate, obedientia, paupertatis spiritu, mortificatione, caritate mira cum mentis recollectione et silentii observantia in novitiatu vere excellens iam die 25 aprilis 1878 votis religiosis se obstrinxit. Tum per breve tempus magistri socius erat, sed autumno a. 1880 in studentatum Mauternensem vocatus est, ubi et eruditione sua et vitae regularis exemplis provinciae iuvenes formaret. Cum paucos annos historiam ecclesiasticam et theogiam dogmaticam docuisse, scripturam sacram utriusque testamenti docendam explanandamque suscepit, in quo munere plus annos 30 laboravit, semper non solum id agens, ut clerici nostri solida scientia imbuerentur, sed ut etiam ad pietatem ex ea hauriendam in vita sua spirituali et ad labores apostolicos in ea condendos instruerentur. Scripturam enim S. Hieronymo praeeceptore praecipuum dicebat esse fontem concionum, tum quoad argumentum, tum quoad praedicandi modum. Ad scholarum praesertim suarum usum maxime gavisus est, cum in itinere palaestini loca sacra invisere posset. Cumque annos 38 in studentatu lectorem egerit, quid mirum, si omnium fere, qui nunc in provincia Vindobonensi et Zwittaviensi vice-provincia sunt, Patrum, sed multorum etiam e pro-

vinciis Pragensi, Polonica, Anglica et Germaniae superioris magister fuit. Ex his enim quoque provinciis studentes clerici per longius breviusve tempus in Mauternensi collegio studiis vacaverunt. Anglis praesertim sermonis vernaculi difficultate laborantibus, cum linguam eorum calleret, officiosissimum se praebuit. Per totum fere lectoratus tempus bibliothecae praefecti munus obtinuit. In regenda domo semel tantum ministri munere functus est, semper autem vel consultor erat Rectoris vel admonitor. Et homo doctissimus Fratribus laicis adesse amavit, ita ut officium eorum praefecti in domo Mauternensi nemini traderetur alii.

Hi vero labores nec viribus nec studio eius sufficere poterant. De thesauris suis proferens in vinea Domini laborare neque verbo neque penna umquam destitit. Innumera fere sunt, quae scripsit, e quibus hic, vel quae maximi sunt momenti, spatio deficiente vix obiter tangere possumus. Ad historiam ecclesiasticam pertinent vitae Aurelii Prudentii Clementis et Cardinalis Ioannis Dominici, cuius etiam « Artem educandi » cum aliis de hac re scriptis catholicis medii aevi edidit. Temporum necessitate adductus est, ut quaestionem, quae de mulierum in vita huius aetatis iuribus officiisque movetur, a. 1893 libro exploraret (« Die Frauenfrage »), quem cum a. 1907 iterum ederet, volumen duplicari oportebat; editionem tertiam praeparanti mors obrepserit. Cum iisdem studiis cohaerent liber de vera et falsa, quam dicunt, mulierum emancipatione (a. 1900), de caritate a mulieribus erga mulieres exercenda (1901 et 1903), « Schola B. M. V. » (Liebfrauenschule), qua vitae precumque praecepta in usum mulierum continentur, quamque ab a. 1900 ad 1922 decies edi oportebat. Sed quidquid praeterea agebatur inter Germanos in rebus catholicis, a P. Roesler sententia requirebatur, quo factum est, ut scripta periodica plena essent eius laborum, qui undique postulabantur. Qnae omnia ne perstringere quidem nobis licet. Addere tantum possumus P. Roesler inter primores catholicos scriptores germanos recensemendum esse, qua re factum est, ut undique iterum atque iterum ad celeberrimos catholicorum conventus vocaretur, ut variis de rebus verba faceret. Imprimis vero, ubi de promovenda vita spirituali agebatur, P. Roesler alacer erat. Ut exercitia spiritualia sive sacerdotum sive monialium dirigeret, saepe saepius vocatus numquam non libenter satisfecit. Anno 1911 Graecii in Styria coram quadringentis sacerdotibus in synodo diocesana congregatis Episcopo postulante quotidie tam egregie concionatus est, ut omnium exspectationem de se maximam superaret.

Haec omnia ex valle Alpium a saeculi strepitu remota, in qua collegium Mauternense situm est, perfecit, vallemque illam et populum eius simplicem amore sincero et sacerdotali prosecutus est, neque iam putabat nisi se ibi finem vitae suae exspectare posse, cum ecce vere anni 1918 Wratislaviam vocatus est, ut ibi novae domus in patria sua fundamenta

poneret. Statim ad eundum se cinxit. Atque magnis et variis difficultatibus superatis ex aedicula ruinosa domum satis firmam et amplam exstruxit eique sacellum pulcherrimum annexuit, in communitate prudentia sua simul et fidei observantia vitam regularem instituit.

Anno deinde 1921 superioris loco liberatus in aeternitatis viam se cinxit. Wratislaviae in sacello monialium Boni Pastoris, cum confessiones exciperet, magnos renum dolores percepit. In eodem sacello, ubi etiam primam missam dixerat, die 23 martii ultimam celebravit. Mox lecto decumbere coactus, cum ei optio daretur, num melius in monialium nosocomio curari vellet, quaesivit, ut domi manere liceret, « aeternitati proximus confrates et cellulam relinquere nolens ». A medico tamquam gratiam expectavit, ut sibi etiam aegroto breviarium recitare liceret. Pridie tantum mortis humiliiter petivit, ut sibi completorii gratia fieret, quia vires eum defecrant. S. Sacramentis die 28 martii devotissime et humillime susceptis « invictum ab oratione spiritum non relaxabat », Passionem praesertim Domini et Beatissimam Virginem pree oculis semper habens. Dominica tandem Passionis, die 2 aprilis, mortis sibi proximae conscius votis religiosis sponte coram fratribus renovatis exclamavit: « Laetus morior, quia filius sum Ecclesiae et Congregationis. En cedula, praebe eam mihi, carissime frater », et hora dimidia ante meridiem animam Deo reddidit.

« In splendoribus Sanctorum » titulus erat ultimi operis, quod hoc anno ad ter centenaria festa canonizationis quinque Sanctorum scribere incepérat. Iam ipsum in eum receptum esse confidimus. Quanti ab omnibus esset habitus, non tantum in funere demonstratum est, sed voce publica cognitum, cum homines celeberrimi mortem eius lugere se protestarentur et folia publica eius merita celebrarent non in Germania solum, sed etiam ultra gentis eius fines. Immo ipsum folium Vaticanum « Osservatore Romano » vitam eius et opera post mortem cum magna laude recensuit.

Ne postules, ut Deus per viam amoeniorem te ducat. Ita duci te sinas, ut Deo placebit. Gaudio, quod saepe Deum et Mariam invocas. Sed velim eum invoco, ut ad voluntatem suam semper faciendam te adducat, dum Deo te offers eumque precaris, ut id de te faciat, quod ei placuerit. Solatum a Deo petis; sed hae preces parum prosunt, quia multum amoris proprii in eis inest. Dicas Deo, ut te faciat se amare; neque vero in eo res posita est, ut te id nosse faciat.

(*S. Alph. ad monialem quandam SS. Red. Scalensem, d. 30 maii 1751.*)